TABVLAE

CODICVM MANV SCRIPTORVM

PRAETER GRAECOS ET ORIENTALES

IN BIBLIOTHECA PALATINA VINDOBONENSI

ASSERVATORVM

EDIDIT

ACADEMIA CAESAREA VINDOBONENSIS

VOLVMEN IX.

(CODICVM MVSICORVM PARS I.)

COD. 15501—17500.

VINDOBONAE

VENVM DAT CAROLI GEROLDI FILIVS BIBLIOPOLA ACADEMIAE

MDCCCXCVII.

Zu beziehen durch die
BUCHHANDLUNG von FRIEDRICH BECK
WIEN,
Augustinerstrasse 8, Ecke des Albrechts-Platzes.

TYPIS ADOLPHI HOLZHAVSEN
C. AC R. AVLAE ET VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

Hoc IX. volumen 'Tabularum codicum manu scriptorum praeter graecos et orientales in bibliotheca palatina Vindobonensi asservatorum' priorem catalogi codicum musicorum partem, qua numeri 15501—17500 describuntur, efficit atque collectionem illustrat, quae non modo ad musicam historiam et palaeographiam accuratius intellegendas apparatum insignem suppeditat, sed propter manuscripta autographa et exemplaria unica etiam pretiosissima habetur. Maximi autem momenti collectio haec est rebus litterariis in Austria cognoscendis: haec enim studia ab aula Caesarum potissimum profecta sunt qui, praestantissimorum Europae poetarum et musicorum fautores exstiterunt. Dramata musica haud pauca, multae compositiones musicae alius generis, carmina cum epica tum lyrica nisi in collectione nostra non inveniuntur, et perpaucis usque ad hunc diem innotuerunt.

Ubertas, qua collectio musica c. r. bibliothecae palatinae inter alias collectiones singulariter praecellit, diligenti curae praefecti Mauritii comitis a Dietrichstein, artium liberalium amantissimi debetur, qui antiquissimos codices musicam sacram atque omnes musicam profanam continentes ex archivo musico capellae palatinae transferendos curavit.

Cum vero indicem horum codicum musicorum inde ab initio fere saeculi iam incohatum ad finem perducere eoque simul magnum opus 'Tabularum' consummare constitueremus, ea re et memoriae illustrissimi illius praefecti et de hac collectione optime meriti, honorem

debitum nos soluturos et litteris ipsis haud mediocriter profuturos esse putavimus.

Quod vero nobis tandem contigit, hoc volumen in publicum emittere, non exiguum antecessoris nostri, Guilelmi Equitis de Hartel, qui ante duos fere annos ad negotia ministerii cultus et eruditionis curanda avocatus est, meritum praedicari aequum est.

Rationes vero, quae in conficiendo hoc catalogo valuerunt, in praefatione sequente ab amanuensi Dre Josepho Mantuani, cui describendi negotium delegatum erat, accurate expositae sunt.

Henricus Eques de Zeissberg.

Describendi rationem, quam in hoc Tabularum volumine, quod libros musicos continet, secuti sumus, paucis explicari defendique necesse est; nam a reliquorum voluminum ratione diversa est propriisque difficultatibus implicata, quae inprimis in totius bibliothecae statu ac ordine positae sunt.

Quem cum iam non mutare liceret, excusatum iri speramus, si Emilii Bohn et Emilii Vogel exempla summis laudibus digna, qui musicam manu scriptam in bibliothecis Vratislaviensi et Guelferbytana asservatam scite disposuerunt egregieque descripserunt, consequi non potuimus. Qui dum thesauros suarum bibliothecarum in ordinem novum eumque aptissimum ipsi redigerent et tractarent, nos hac libertate, ordine immutabili nostrae bibliothecae impediti, quo codices musici non partem separatam per se constituunt, sed cum reliquis diversae materiae codicibus currente numero coniuncti sunt, uti non potuimus. Ita e. g. codices cantus sacros continentes inter Theologiae libros positi sunt, et alii alibi. Quare nec certus ordo intra hanc librorum musicorum collectionem, quam descripturi sumus, apparebit et multi codices eius generis in hoc volumine videbuntur neglecti, quorum descriptio in praecedentibus harum Tabularum voluminibus locum invenit. Hoc malum ex parte quidem ita corrigere in animo est, ut horum codicum dispersorum appendicem addendo totius materiae musicae, quam bibliotheca Palatina possidet, quasi instar studiosorum commoditati exhibeamus.

Ordo vero, si eum dicere licet, quo libri musici in hac bibliotheca digesti sunt, historia totius collectionis, quomodo instituta et paulatim aucta sit, explicatur.

Conditor autem eius, comes Mauritius a Dietrichstein, celeberrimus bibliothecae praefectus idemque artium liberalium fautor felicissimus celebrari debet; ante eum enim non multi codices eius generis aderant, si exceperis, quos coenobia per Austriam saeculo XVIII. sublata, ex Carniolia, Tyroli, Styria potissimum suppeditaverant, qui plerique omnes, ut diximus, theologicis codicibus inserti erant.

Is igitur anno 1826 mense Iunio 47 volumina maiora musicam, quam vocant polyphonam, saeculorum XVI. et XVII. continentia, ex archivo musico

capellae Palatinae huc transportanda curavit eorumque numerum anno 1828 cum autographos, quos dicunt, codices colligere coepisset, pretiosis exemplaribus auxit.

Anno deinde 1829 mense Martio ex eodem archivo capellae Palatinae, quotquot ibi exstabant libri, in decantandis divinis officiis et celebrandis spectaculis iam non adhibendi ibique ab usu publico remoti, accesserunt. In hoc numero erat collectio imperatoris Leopoldi I. privata in bibliotheca eius cubicularia, dum vivebat, asservata, quae dramata musica, cantatas, serenatas, oratoria et alia id genus, partim ab aliis auctoribus composita et Leopoldo I. vivente praesentata, partim a Leopoldo ipso inventa et modulata complectebatur; praeterea erant opera sacri et profani generis post Leopoldum I. comparata vel composita, quae in aula imperatorum musicae artis amantissimorum, Iosephi I., Caroli VI. et Mariae Theresiae audiri spectarique solebant.

Sunt vero haec exemplaria maximam partem in synopsin vel, ut dicunt, in partituram redacta, plura autographa.

Praeter comitem a Dietrichstein non exiguam accessionem bibliotheca Palatina Iosepho ab Eybler, primo capellae magistro debet, qui partituras autographas ad 34 dramata, 7 cantatas aliasque compositiones pertinentes, quarum auctor Antonius Salieri erat, ex archivo societatis, quae ‘Witwen- und Waisen-Pensionsfonds-Gesellschaft der Wiener Tonkünstler’ appellabatur, anno 1831 transportandas curavit.

Anno 1832 haec tota librorum musicorum collectio a reliquis diversi generis, quos bibliotheca possidebat, libris seiuncta, per ‘armaria’ 16, quae vocabantur ‘nova’, disposita atque in ordinem redacta est, nisi quod libri manu scripti et impressi non separabantur. Indicem eius collectionis duplicem, scilicet indicem locorum et indicem plus 8000 operum auctorumque alphabetico ordine Antonius Schmid conficere et opera describere coepit. Haec descriptio brevis, ab auctore musicae disciplinae, quae tum erat, peritissimo lingua germanica instituta, non tam argumenta ipsa librorum, quam externam eorum speciem, formam, mensuram, genus chartae, linearum numerum et similia accuratius indicabat et tamen summa laude digna fuit maximumque usum per proxima tempora, dum post Schmidii mortem bibliotheca custode musicae disciplinae aeque perito egebat, paravit. Magnopere igitur dolendum est, quod opus unius viri indefesso labore et singulari scientia confectum, non integrum ad nos pervenit suoque pretio privatum est.

Cum enim anno 1850 et seqq. Tabularum harum edendarum causa codices bibliothecae in novum ordinem dirigendi essent, codices musici, postquam librorum manu scriptorum et impressorum partitio facta est, cum reliquis codicibus consociati numerisque currentibus signati sunt. Deinde cum codicum manu scriptorum, quotquot in bibliotheca exstabant, brevis descriptio instituenda atque academiae Vindobonensis consilio et impensis his Tabularum voluminibus latino sermone publicanda esset, Antonii Schmid schedae germanica lingua conscriptae primum a custode Iosepho Haupt deinde a Fausto Pachler in latinum sermonem conversae, retractatae atque in brevius

redactae sunt, neque exigua earum pars per incuriam prorsus periit. Neque viris ipsis, qui novum indicem incohaverant, eum perficere et in publicum emittere contigit et Tabularum tandem ad finem perducendarum consilium post 18 fere annorum intervallum, quod post voluminis VII. editionem (a. 1875) intercessit, abiectum esse videbatur, cum Guilelmus Eques de Hartel, vir doctissimus et omnibus rebus praecellens anno 1891 bibliothecae director nominatus, laborem diu interruptum, continuare constituit. Iam anno 1893 volumen VIII. emissum et omni modo curatum est, ut hoc volumen codicum musicorum pararetur.

In ea re vero describendi ratio in praecedentibus voluminibus exercitata, id quod tempus et materiae natura poscebat, relinquenda erat novaeque fere schedae ad regulas a directore probatas erant componendae.

Virorum doctorum de hoc catalogo iudicia iam subituri non omni timore vacui sumus, ut, quod hodie non iniuria ab iis postulabitur, satis praestare putuerimus. Sed quodcumque vituperabitur, quominus de me vituperetur, non recuso, qui, postquam custos Franciscus Wöber, aliis negotiis occupatus conscribendo catalogo suam operam navare desiit, eum fere solus absolvi, nisi quod hic illic schedae Schmidianae praesto erant. Aequi tamen iudices ne obliviscantur, rogo, difficultates iam supra expositas, quae in ordine iam non mutando codicum, in forma harum Tabularum commoditati legentium aptarum, in tenuitate sumptuum positae erant, quas neminem facile superaturum fuisse concedendum est.

Atque tota huius voluminis materia in quattuor partes digesta est, quarum prima codicum currente numero se excipientium descriptiones, altera indicem nominum, tertia rerum, quarta concordantiam, quam dicunt, signaturarum et praesentium et veterum continet.

De descriptionibus singulis haec observanda sunt.

1. Numerus, qui nunc valet, codicibus praefigitur, uncis vero pristina signatura inclusa est, velut: 16061 [A(rmaria) N(ova) 43. A. 19].

2. Saeculum post signaturam Romanis litteris indicatur; si annus ipse titulo codicis exhibetur, eodem quo eum invenimus loco reliquimus; ubi vero tempus aliunde vel coniectura inveniendum erat, in fine descriptionis additum est et coniectura incertior interrogationis signo notatur.


3. Materiam codicum membranaceam vel linteam notis *m.* et *ch.* signavimus.

4. Folia numeravimus pristinis numeris, ubi fieri potuit, servatis; folia vero quae initio codicum praefixa numeris carebant, Romanis numeris notavimus. Sicubi paginae numeratae erant, nihil mutavimus.

5. Formae magnitudinem, ubi a solita nimis recedit, centimetris indicavimus; varias partium conglutinatarum formas accurate adnotavimus.

6. Nomina auctorum immutata ex titulis ipsis hausta sequuntur, correcta uncis includuntur. Praenomina desunt, ubi recuperari nullo modo poterant. Uncis inclusa etiam nomina coniectura inventa exstant, quibus ubi dubiosa sunt, interrogationis signum additum est.

Auctorum incertorum saec. XVI. vel XVII. quo facilius origo pateret, thema musicum, ex tenore vocum depromptum, litteris signo temporis praemisso, adiunximus, nisi quod ubi pausae, quas musici dicunt, praecedebant, ex sequenti concentus parte illud hausimus. Pausam unam una, plures duabus lineis notavimus. Ubi initia cantu Gregoriano composita erant, intonationibus omissis thema exscripsimus, velut in codice 16207 sub num. 12 motettae:



thema intonatione omissa per litteras: Ten.: ₵ *g f d e f f* signavimus.

Modorum genus ubi adferre utile erat, ex titulis attulimus, plerumque autem negleximus; neque enim in operibus eiusdem generis, si notaretur, ullum discrimen significaretur; id valet e. g. de missis a Iosepho Bonno compositis (num. 15857 et seqq.), quae omnes ex C-maiore sonant.

7. Argumenta ex titulis ipsis immutata sumpsimus, quod notulae ‘ ’ indicant; nostra additamenta his notulis carent. Ubi plures tituli adsunt, genuino usi sumus; si titulum uncis inclusimus, eum non solito proprioque loco inveniri scito. Antiphonariorum, gradualium, aliorum id genus, argumentis accurate descriptis, ubi fieri poterat, titulos in brevius contraximus. In missis de ‘Requiem’, quae legitimas partes integras (introitum, Kyrie, graduale, tractum, sequentiam, Sanctus, Benedictus, Agnus, communionem) exhibebant, breviter ‘omnes partes’ aut nihil adnotatur; ubi partes deerant, accurate, quae adsunt, adferuntur.

8. Scriptorum nomina, qui scripturam vel textum verborum confecerunt, libris ecclesiasticis exceptis, ubi in codicibus exstabant vel aliunde cogniti erant, adnotantur.

9. Eorum nomina, qui opera musica componenda curabant vel quibus ea dedicata sunt, non omisimus.

10. Idem valet de sociis operum, de pictoribus, architectis, de librariis et correctoribus, de saltationis delineatoribus vel etiam saltatoribus, de productionibus vel actionibus scenicis, ut breviter dicamus, de rebus omnibus, quae cognitione dignae ex titulis vel notis codicum recuperari poterant.

11. Neque operum formam adnotare omisimus, utrum opus vocibus in partituram vel in synopsin redactis an separatis vocum partibus exstet, utrum codex autographus sit necne.

Partituram vero appellamus et cantorum et instrumentorum voces in synopsin redactas; item clavichordii organive partem, ubi quasi partitura vivae voci subicitur; clavichordii vero organique solius partes in synopsin per duo systemata dispositam esse redactas per se intellegitur.

Ubicumque opus esse videbatur, in describendis J. J. Fuxi, W. A. Mozarti, L. v. Beethoveni operibus ad Köcheli et Nottebohmi indices thematicos relegavimus.

Descriptionibus codicum indices adiunximus.

Index I. omnia, quae in descriptionibus inveniuntur nomina complectitur. Varias nominum scripturas vera recepta aequavimus. Litteris maioribus post nomina adiectis numeros codicum, minoribus eorum partes notavimus.

Index II. continet codices alphabetico ordine secundum argumenta dispositos (cantica, hymnos etc.), titulos singulorum operum, textus initia eorum operum, quae titulis non satis indicantur, cantica, hymnos, similia ad textus initia digesta.

Index III. signaturarum et veterum et hodie valentium concordantiam proponit.

Cum nobis in hoc volumine conscribendo, ut eius usus latius pateret neve a reliquis voluminibus Tabularum discreparet, latino sermone utendum esset, non vituperatum iri speramus, si perspicuitati et commoditati legentium magis quam linguae proprietati vel etiam elegantiae consulentes longioribus circumscriptionibus abstinuimus et, sicubi antiquum et genuinum verbum termini vel instrumenti musici deerat, modernum idque rerum peritis notum tritumque forma latina induta usurpavimus.

Verba saepius occurrentia siglis expressimus, quorum indicem proxima pagina subiecimus.

Dabam Vindobonae, XIV. a. Kal. Apr. anno p. Ch. n. MDCCCXCVII.

Dr Joseph Mantuani.

INDEX SIGLORUM.

A.	Alto
B.	Basso
b.	Basso (instr.)
Bal.	Balletto
b. c.	Basso continuo
Brt.	Baritono
C.	Canto
Cta.	Contralto
ctb.	Contrabasso
corno d. c.	Corno da caccia
D.	Discantus
Dr.	Drama
Dr. mus.	Drama musicum
fag.	Fagotto
f. atl.	Folio atlantico
f. obl.	Folio obliquo
fund.	Fundamentum
Instr.	Instrumenta / Instrumentalis
mand.	Mandolino
Mezzos.	Mezzosoprano
ob.	Oboe
Or.	Oratorium
org.	Organum
Part.	Partitio
pic.	Piccolo
Prts. sep.	Partes separatae
S.	Soprano
Sp.	Superius
T.	Tenore
Tab. org.	Tabulatura organica
tamb.	Tamburo
trba.	Tromba
trbne.	Trombone
trgl.	Triangulo
tymp.	Tympano
V.	Vagans
vl.	Violino
vla.	Viola
vla. d. b.	Viola da braccio
vla. d. g.	Viola da gamba
vlc.	Violoncello
vle.	Viole
vli.	Violini
vlone.	Violone
vltta.	Violetta
voc.	Vox, Voces / Vocalis
5 v.	Quinta vox
6 v.	Sexta vox
7 v.	Septima vox
8 v.	Octava vox

15501. [A. N. 38. A. 7] m. XV. 252. f. Cantionale (Graduale) pro sodalibus litteratis utraquistarum in Bohemia scriptum et lingua latina compositum. Id opus Kuttenbergae in usu fuisse fertur. Codex picturis abundantissime ornatus et cantu unius vocis instructus. 1ª vacat. 1ᵇ Depinguntur fodinae, lotio, examinatio auri.

I. 2ª—32ᵇ. 'Kyrie' cum suis versiculis pro singulis festis anni; nonnullis adiungitur et 'Gloria'. Singuli ex versiculis cantu mensurabili compositi sunt.

II. 33ª—51ª. 'Sanctus-Benedictus-Agnus'. Textui genuino multa sunt inserta. 51ᵇ vacat.

III. 52ª—60ª. 'Credo' (Patrem ...). Nonnulla cantu mensurabili vel 2 vocibus instructa sunt.

IV. 60ª—62ᵇ. 'Antiphonae'.

V. 62ᵇ—149ᵇ. 'Introitus' per circulum anni, cum 'Gradualibus', 'Offertoriis', 'Comunionibus'. 150ª vacat.

VI. 150ᵇ—250ᵇ. 'Prosae' diversorum festorum. 251ª—252ᵇ vacant.

15502. [A. N. 38. A. 6] m. XV. 226. f. Liber antiphonarius, continens antiphonas, versus, responsoria per circulum anni digesta, tum de tempore cum de sanctis, cantui gregoriano accomodata. Opus picturis abundantissime exornatum et pro ecclesia Časlaviensi exaratum; id quidem post annum 1472., testantibus armis civitatis Časlaviensis. Textus genuinus officiorum multimode variatus et abbreviatus est. Incip.: 'Gaude et laetare', desin.: 'salus deo nostro ...' (in festo s. Michaelis). Post fol. 1. excisa sunt 18 folia; post fol. 85. duo folia, post 131. itidem duo folia, post 147. duo folia, post 181. decem folia, post 199. unum folium, post 222. unum folium, post 224. tria folia, in fine plura desunt.

15503. [A. N. 38. A. 2] m. XVI. 445. f. Graduale, de tempore et de sanctis ritus utraquistici, lingua čechica concinnatum, cantui gregoriano aptatum, notulis musicis in systemate quinquelineari positis ad usum ecclesiae Časlaviensis a Johanne Taborský z Klokotské Horý scriptum et picturis abundantissime ornatum. 1ª vacat. 1ᵇ Arma Časlaviae urbis (Erb města Cžaslawie. 1557).

I. 2ª—444ª. Officia ecclesiastica per circulum anni, continentia 'Kyrie', 'Et in terra', 'Gradualia', 'Offertoria', 'Tropos', 'Hym-

nos', 'Antiphonas'. Post fol. 4. deest unum folium; post 97. unum, post 194. unum, post 211. tria folia desunt.

II. 444ᵃ—444ᵇ. Arma gentilitia pictoris et scriptoris Joannis Taborský cum versibus illa illustrantibus. 445ᵃᵇ vacat.

15504. [A. N. 65. A. 244.] ch. XIX. 49. f. obl. Stohl, Johannes. 'Messe in B-dur für IV Singstimmen und Orchester, componiert, illustriert und Sr. kais. königl. Apost. Majestät Franz Joseph I., Kaiser von Oesterreich etc. etc. in tiefster Ehrfurcht gewidmet ...' Opus affabre scriptum ac picturis splendidissime ornatum. Part.

15505. [A. N. 38. A. 4.] m. XVI. 164. f. Antiphonale de tempore et de sanctis, cantui gregoriano accomodatum; notulae, quas 'clavos soleares' appellare consueverunt, in systemate quadrilineari positae sunt. In parte interiori operculi anterioris index praemittitur. Codex anno 1506 scriptus, litteris initialibus pictis ornatus, continens antiphonas, responsoria, invitatoria, hymnos. Opus incipiens: 'Dominica I. adventus'; mutilum in fine; desinit enim verbis: 'Te decet ympnus, deus in Syon ...' Excisa videntur tria folia.

15506. [A. N. 44. D. 12.] ch. XVI. 198. f. Collectio operum musicorum ecclesiasticorum, a diversis auctoribus quinis et senis vocibus compositorum. Codex anno 1586 exaratus. 1ᵃ vacat. 1ᵇ 'Index eorum, quae in hoc libro continentur'. 2ᵃ vacat.

1. 2ᵇ—6ᵃ. Gatto, Simon. 'Asperges me'. 5 voc. 6ᵇ—7ᵃ vacant.
2. 7ᵇ—32ᵃ. Regnart, Jacobus. 'Missa: Fit porta Christi pervia'. 5 voc. 32ᵇ—33ᵃ vacant.
3. 33ᵇ—56ᵃ. Sayve, Lambertus de. 'Missa: Lyram, lyram pulset'. 5 voc. 56ᵇ—57ᵃ vacant.
4. 57ᵇ—85ᵃ. Cleve, Johannes de. 'Missa: Rex Babyloniae venit ad lacum'. 5 voc. 85ᵇ—86ᵃ vacant.
5. 86ᵇ—121ᵃ. Patavinus, Hannibal. 'Missa: Ove chi posi'. 5 voc. 121ᵇ—122ᵃ vacant.
6. 122ᵇ—140ᵃ. Lasso, Orlandus de. 'Missa: Domine dominus noster'. 6 voc. 140ᵇ—141ᵃ vacant.
7. 141ᵇ—169ᵃ. Gatto, Simon. 'Missa: Veni domine et noli tardare'. 6 voc. 169ᵇ—170ᵃ vacant.
8. Idem. 'Missa: Dont vient cela'. 6 voc. sine 'Osanna' et 'Agnus dei', quae excisa sunt.

15507. [A. N. 44. D. 13.] ch. XVII. III. + 287. f. Hymni totius anni a diversis, maximam partem incertis auctoribus compositi, a Georgio Moser collecti, scripti ac Ferdinando III. imperatori anno 1637. sedem imperialem conscendenti dedicati. Iᵃ Dedicatio: 'Ferdinando III., pio, invicto'. Iᵇ vacat. IIᵃ—IIIᵇ. 'Index hymnorum totius anni, secundum ordinem festivitatum'. IIIᵇ vacat.

a) Proprium de tempore.

1. Pag. 1—16. 'Creator alme siderum'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *g a f g f e d c*)
2. Pag. 17—40. 'Jesu redemptor omnium'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *c c d e c d d*)
3. Pag. 41—68. Palestrina, Johannes Petrus Aloysius. 'A solis ortus cardine'. 4 voc.
4. Pag. 69—80. 'Deus tuorum militum'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *[f a c d d c d e f e d] e e d d e d*. Thema uncis inclusum Palestrina gaudet auctore).
5. Pag. 81—92. 'Exultet orbis gaudiis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *f a c d d c*)
6. Pag. 93—104. 'Salvete flores martyrum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *d d e f e d c*)
7. Pag. 105—116. 'Crudelis Herodes'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *c h a c g a c d*)
8. Pag. 117—128. 'Lucis creator optime'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *c d e c d c h a c*)
9. Pag. 129—136. 'Jam sol recedit igneus'. 4 voc. (Ten.: ₵ *a h d c h d c h a a g*)
10. Pag. 137—148. 'Audi, benigne conditor'. 4 voc. (Ten.: ₵ *b c c b g b g a a g g*)
11. Pag. 149—166. 'Vexilla regis prodeunt'. 4 voc. (Ten.: ₵ *g g a f d f e f d*)
12. Pag. 167—182. 'Ad regias agni dapes'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *h h c a g a c h c d*)
13. Pag. 183—196. 'Salutis humanae sator'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *g a h c h c h a f*)
14. Pag. 197—212. 'Veni creator spiritus'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *c g a c d c d e d*)
15. Pag. 213—224. 'Jam sol recedit igneus'. 4 voc. (Ten.: ₵ - - *d e c a h c d*)
16. Pag. 225—244. 'Pange lingua'. 4 voc. (Ten.: ₵ - *e f g f f e d f*) 245 vacat.

b) Proprium de sanctis.

17. Pag. 247—262. 'Quodcunque in orbe'. 4 voc. (Ten.: ₵ - *e f g f d e d*)
18. Pag. 263—274. 'Egregie doctor'. 4 voc. (Ten.: ₵ - *c h a g a h h*)
19. Pag. 275—290. 'Ave maris stella'. 4 voc. (Ten.: ₵ - *a a d e f g f e d*)
20. Pag. 291—300. 'Vexilla regis prodeunt'. 4 voc. (Ten.: ₵ *h h c a g a c*)
21. Pag. 301—318. 'Ut quaeant laxis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *d b d e f e d c*)

22. Pag. 319—336. 'Decora lux'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c c a c h a g*)
23. Pag. 337—346. 'Pater superni luminis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *b c a g a b c d*)
24. Pag. 347—362. 'Miris modis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *e e f f d e d*)
25. Pag. 363—376. (Palestrina, Johannes Petrus Aloysius.) 'Quicumque Christum quaeritis'. 4 voc.
26. Pag. 377—390. 'Te splendor et virtus'. 4 voc. (Ten.: ₵ *b b c d b c d c*)
27. Pag. 391—406. 'Custodes hominum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c c d c h a h c d*)
28. Pag. 408—420. 'Placare Christe servulis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *f a c d d c d*) 421 vacat.

c) Commune sanctorum.

29. Pag. 423—438. 'Exultet orbis gaudiis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c c e d e d h c*)
30. Pag. 439—448. 'Tristes erant apostoli'. 4 voc. (Ten.: ₵ *h h c c a g a c h*)
31. Pag. 449—464. 'Deus tuorum militum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c h a a g a h e h*)
32. Pag. 465—474. 'Deus tuorum militum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *h h c a g a c h*)
33. Pag. 475—494. 'Sanctorum meritis'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c c d c h a*)
34. Pag. 495—504. 'Rex gloriose martyrum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *h h c a g a c*)
35. Pag. 505—508. 'Iste confessor'. 4 voc. (Ten.: ₵ *a gis a h c g*)
36. Pag. 509—520. 'Iste confessor'. 4 voc. (Ten.: ut supra).
37. Pag. 521—534. 'Jesu corona virginum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *c c a d c h a g*)
38. Pag. 535—544. 'Jesu corona virginum'. 4 voc. (Ten.: ₵ *h h c a g a c h c d c h*)
39. Pag. 545—554. 'Fortem virili pectore'. 4 voc. (Ten.: ₵ *g h a g a h c d*)
40. Pag. 555—572. 'Caelestis urbs Jerusalem'. 4 voc. (Ten.: ₵ *f f g a f b c d b d*)

15508. [A. N. 43. D. 1] m. XVII. V. + 127. fol. 'Antiphonale ad vesperas per annum. Pro contrapuncto (!) austriacae capellae accomodatum. Serenissimo et reverendissimo principi domino dn̅o̅. Leopoldo Gulielmo ... humillime dicatum et conscriptum a Georgio Moser, caesareae capellae notista. Anno 1649'. Opus cantu gregoriano instructum, notulis in systemate quinquelineari positis. I[b] vacat. II[a]—V[a] index praemittitur. V[b] vacat.

I. Pag. 1—110. Proprium de tempore.
II. Pag. 113—222. Proprium sanctorum.

III. Pag. 223--254. Commune sanctorum. Unum folium (pag. 111 —112) excisum est.

15509. [A. N. 38. A. 3.] m. XVI. (1568.) 403. fol. Graduale, de tempore et de sanctis, ritus utraquistici, lingua čechica concinnatum, cantui gregoriano aptatum, notulis in systemate quinquelineari positis, exaratum et picturis ornatum a Joanne Taborský et ab Adamo Kazybaba z Kozmačžowa.

1. 1ª—50ª. 'Kyrie' cum 'Gloria' et tropis diversorum festorum. Inter fol. 41 et 42 unum folium excisum. 50ᵇ vacat.
2. 51ª—52ᵇ. 'Te deum'. In fine mutilum; unum folium excisum; desinit: 'doufame W ...'
3. 53ª—75ᵇ. 'Sanctus', 'Benedictus', 'Agnus' diversorum festorum; ab initio mutilum; incipit: '... nán w swé' etc.
4. 76ᵇ—244ᵇ. Officia integra, continentia introitus, gradualia, offertoria, communiones et antiphonas. Inter fol. 153. et 154. unum fol. excisum; itidem inter 157. et 158., inter 185. et 186., inter 188. et 189., inter 225. et 226., inter 236. et 237.
5. 245ª—380ᵇ. 'Prosae', diversorum festorum.
6. 381ª—381ᵇ. Versus laudantes Joannem Taborský et explicantes usum libri.
7. 382ª—403ᵇ. 'Patrem' diversorum festorum; in fine mutilum; desinit: 'Wěrzmež v Du ...' Sequitur nota: 'W tomto Gradualu gest w Počžtu wssech Lystii Cztyry Sta a Dwaczetj Sedům. Anno 1648'. Accedit alia: 'W Letu 1704 gsau seczteny Lysty, schazegy 24'. Ex quibus deesse in fine 24 folia colligi licet, cum 403 adhuc exstent; quae vero usque ad fol. 257. excisa praenotavimus, jam anno 1648. deerant.

15510. [A. N. 38. A. 1.] m. XV. (et XVII.) 242. f. Graduale secundum rubricas ordinis praedicatorum, initio et fine carens. Textus cantui gregoriano aptatus notulis in systemate quadrilineari positis. Codex pluribus manibus exaratus, continet introitus, gradualia, offertoria, communiones, versiculos, responsoria, antiphonas, sequentias, doxologias per circulum anni.

I. 1—17. Folia chartacea, resarcinata, saec. XVII. exarata; continent 'Gloria patri octo tonorum', Introitus et Kyrie etc.

II. 18—242. Membranacea, continent 'Officia', cum cantibus, posterioribus saeculis additis (18—164). Foll. 90—92 continent additamenta saec. XVIII., in paginis palimpsestis; foll. 165—242 continent sequentias.

15511. [A. N. 33. F. 30.] ch. XIX. 20 f. Pietsch, Franciscus de Paula. 'Alleluja! C-mai. Motetto a canto, alto, tenore, basso ...' (comitantibus instrumentis; [= Ps. 'Jubilate Deo omnis terra' adnexo alleluia]). Part. autogr.

15512. [A. N. 48. D. 49.] ch. XIX. 63 f. Knecht, Justinus Henricus. 'Hymnus: Te Deum laudamus, duplici choro et sedecim instrumentis musicis canendus. Modos praescripsit et Francisco II., imperatori Romano, Germanico . . . et Buonaparte, reipublicae Francogallorum consuli primario animo devotissimo obtulit . . . musices director Biberaci, quae civitas est libera imperialis in Suevia superiori prope Ulmam. Anno C. N. 1801, reip. Franc. 9'. Part. autogr. (?)

15513. [A. N. 65. A. 87.] ch. XIX. 78. f. Beraneck, Johannes. 'Grosse Messe in C-dur'. Opus 4 voc. comitantibus instrumentis decantandum. In fine nota: 'Wien, 18. August 1857'. Part. autogr.

15514. [A. N. 48. C. 8.] ch. XIX. 5 f. Beethoven, Ludovicus van. 'Abendlied unter dem gestirnten Himmel, von H(einrich) Goeble, in Musik gesetzt von . . ., den 4. März 1820'. Titulus manu posteriori operi praemissus: 'Abendlied für das Piano-Forte 4ten Merz, 1820'. Opus cantui solo comitante clavichordio aptatum. Part. autogr. (Nottebohm, pag. 185.)

15515. [A. N. 33. F. 76.] m. XVII. 1. f. 'Benedicamus Domino, Deo gratias', 5 voc., (intonatio cantu gregoriano).

15516. [A. N. 34. B. 49.] ch. XVIII. 12. f. Reichardt, Johannes Fridericus. 'Das Lob Gottes oder der 65. pesal (sic!) Davids'. 4 vocibus, comitantibus instrumentis decantandum opus. Accedit nota: 'Frankfurt, Joh. Pauli, Musikdirecktor'. Part.

15517. [A. N. 48. C. 6.] ch. XVIII. 11. f. Bach, Carolus Philippus Emanuel. 'Heilig. Original-Partitur'. Opus 4 vocibus comitantibus instrumentis decantandum.

15518. [A. N. 33. A. 72.] ch. XVII. 26. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Dixit (dominus) à 9 concerto con violini è ripieni. G. P. C.' (= Giov. Paolo Colonna.) Part.

15519. [A. N. 33. B. 98.] ch. XVIII. 34. f. Leo, Leonardus. 'Miserere à 8 voc'. Opus in duos choros divisum, adiecto basso continuo. Part.

15520. [A. N. 65. A. 68.]. ch. XVIII. 147. f. Gaveaux, Petrus. 'Der kleine Matrose. Oper in einem Act'. Libellum composuit lingua gallica et inscripsit: 'Le petit matelot' Guilelmus Carolus Antonius Pigault-Lebrun. Part.

15521. [A. N. 65. A. 70.] ch. XIX. 6. f. Dubez, Petrus. 'Koronázási induló. Ö császári és apostoli királyi folségének I. Ferencz József . . . legkegyelmesebb úrnak jobbágyi hódolattal ajánlott . . .' Classicum (= Marsch) celebrando coronationem regis Hungariae compositum. Part.

15522. [A. N. 65. A. 69.] ch. XIX. 51. et 52. f. Sulzer, Julius. 'Klänge nach Oben!' Collectio cantionum piarum, hebraica, germanica, latina

lingua conscriptarum, tum vivis vocibus solis cum instrumentis comitantibus decantandarum.

Vol. I. 1ᵃ 'Lithurgische Gesänge'. 1ᵇ—2ᵃ vacant.

1. 2ᵃ—3ᵃ. 'Die Lehre, die uns Gott gegeben'. 3 cantus et org.
2. 3ᵇ—4ᵃ. 'Choral: Die der Tugend reine Saaten'. Cantu solo, org.
3. 4ᵇ—5ᵇ. 'Kedusche: Kwodo mole olom'. 4 voc.
4. 6ᵃ—13ᵃ. 'Psalm 24: Dir, o Herr!' 2 c., 2 b., org.
5. 13ᵇ—14ᵃ. 'Nach Psalm 8: Herr, dein Schöpfungsruf!' Voce sola (c.), org.
6. 14ᵇ—16ᵃ. 'Herr, nimm auf'. 2 t., 2 b. et voce sola comitante org.
7. 16ᵇ. 'Die der Tugend reine Saaten' ut supra.
8. 17ᵃ. 'Es segne dich'. 2 c., t., b.
9. 17ᵇ. 'Ertönt des Dankes Lieder'. 2 c., t., b.
10. 18ᵃ. 'Wa jiwro elochim'. 2 c., t., b.
11. 18ᵇ—22ᵃ. 'Jigdal elochim'. 4 c., 2 t., 2 b.
12. 22ᵇ—24ᵇ. 'Adon olom, ascher moloch', 2 c., t., b.
13. 25ᵃ—25ᵇ. 'Miadir al haccol'. c., a., t., b.
14. 26ᵃ. 'Gepriesen sei die Stunde'. 2 c., t., b.
15. 26ᵇ—27ᵃ. 'Kwodomole olom'. t., b.
16. 27ᵇ—29ᵃ. 'A jede kohane'. 2 t., 2 b.
17. 29ᵇ—32ᵇ. 'Umor de chaj'. 4 voc.
18. 33ᵃ. 'Ha jom haras olom'. 4 voc.
19. 33ᵇ—39ᵇ. 'Pischu schorim'. b. org. et 4 voc.
20. 39ᵇ—45ᵇ. 'Cantate: Auf, lasset uns singen'. 2 c., t., b., org.
21. 46ᵃ—46ᵇ. 'Wenn der Stifter der Geschlechter'. 4 voc. org.
22. 46ᵇ—48ᵃ. 'Kwodo olom'. 4 voc.
23. 48ᵃ—49ᵃ. 'Bewahre mich, o Gott'. c. org.
24. 49ᵇ—50ᵇ. 'Sei uns gegrüsst'. c. org.

Vol. II. 1ᵃ. 'De profundis clamo ad te'. Liturgisches Kirchenwerk für Chor, Soli, Orgel und Orchester. Zweiter Band der 'Klänge nach Oben!' 1ᵇ—3ᵃ vacant.

1. 3ᵇ—32ᵃ. 'Allegretto'. Opus instrumentis accomodatum, carens textu. 32ᵇ vacat.
2. 33ᵃ—36ᵇ. 'Gebet'. Instrumentis flatu sonantibus aptatum opus sine textu.
3. 37ᵃ—42ᵇ. 'Graduale: Ave Maria'. 2 c., b., org. 42ᵇ vacat.
4. 43ᵃ—44ᵇ. 'Kirchenlied: Himmel, Erde, Luft und Meer. Text von J. Neander'. Chorus, org.
5. 45ᵃ—46ᵇ. 'Kirchenlied: In der stillen Einsamkeit'. Chor., org. (Textum fecit J. Neander.)
6. 47ᵃ—52ᵃ. 'Begräbnisslied: Wenn der Stifter der Geschlechter'. 2 c., 2 b. (Textum fecit Gottfridus Fridericus Ständleni.) 52ᵇ vacat. Part.

15523. [A. N. 65. A. 67.] ch. XVIII. 77. f. Hiller, Johannes Adamus. 'Der Aerndtekranz'. Drama musicum trium actuum. Libellum composuit Christianus Felix Weisse. Part.

15524. [A. N. 48. C. 69.] ch. XVIII. 33. f. Stoelzel, Godofredus Henricus. 'Missa à 8 voci in canone'. (Kyrie et Gloria; cetera desunt.) Vivas voces comitantur instrumenta. Part.

15525. [A. N. 33. B. 3.] ch. XVII. 34. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Magnificat à 9 concerto. G. P. C.' Vivas voces comitantur instrumenta. Part.

15526. [A. N. 33. B. 2.] ch. XVII. 20. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Benedictus à 9. (G. P. C.)' Vivas voces comitantur instrumenta. Part.

15527. [A. N. 33. B. 99.] ch. XVIII. 70. f. Leo, Leonardus. 'Psalm 110: Dixit Dominus à più (= 5) voci, violini, violena, oboè, corni da caccia e flauto traversiero'. Part.

15528. [A. N. 48. D. 81.] ch. XVIII. 29. f. Bach, Johannes Sebastianus. 'VI Sonaten für die Orgel mit zwey Clavieren und Pedal'. Accedit nota: 'Joh. Chr. Olcy. Aschersleben'.

15529. [A. N. 48. D. 52.] ch. XVIII. 48. f. Rolle, Johannes Henricus. 'Der Tod Abels'. Drama musicum sacrum in duas partes divisum. Part.

15530. [A. N. 33. A. 11.] ch. XVII. 63. f. Benevoli, Horatius. Missa 16 voc. in quatuor choros distributarum. Part.

15531. [A. N. 48. B. 55.] ch. XIX. 10 f. Onslow, Georgius. 'Ouverture du Colporteur à 4 mains'. Accedit nota: 'Mr. Michel, imprimeur, rue Montmartre N° 131'. Codex emendationibus et additamentis refectus.

15532. [A. N. 48. D. 89.] ch. XVIII. 109. et 205. f. Telemann, Georgius Philippus. Cantus sacri per circulum anni, numero 41, pro plurimis dominicis et singulis festis diebus ecclesiae reformatae, una vel pluribus vocibus, comitantibus instrumentis decantandi.

Vol. I.

1. 1^a—8^a. 'Dominica I. adventus: Machet die Thore weit'. 8^b vacat.
2. 9^a—15^a. 'Dom. II. adventus: Hütet euch, dass eu're Herzen'. 15^b—16^b vacant.
3. 17^a—26^b. 'Dom. post nativit. Christi: Danket dem Herrn'.
4. 27^a—34^a. 'Am andern Sonntage nach Epiph.: Mein Wille lieget dir zu Füssen'. 34^b vacat.
5. 35^a—42^b. 'Dom. III. post Epiph.: Wir fallen auch für dir.'
6. 43^a—47^b. 'Am 3ten Sonntage nach Epiph.: Warum währt doch unser Schmerz'.

7. 48^{a}—55^{b}. ‘III. post Epiph.: Spricht der Herr’.
8. 56^{a}—63^{a}. ‘Sexagesimae: Komm du edles Wort’. 63^{b} vacat.
9. 64^{a}—71^{b}. ‘Am Sonntage Septuagesime: Wie mancher, der nach seinem Wahn’.
10. 72^{a}—81^{b}. ‘Dom. septuagesimae: Aus Gnaden seid ihr selig worden’.
11. 82^{a}—87^{a}. ‘Dom. reminiscere: Stelle dich nur, wie du willt’. 87^{b} vacat.
12. 88^{a}—92^{a}. ‘Dom. palmarum: Nun kömmt die grosse Marterwoche’. 92^{b}—93^{b} vacant.
13. 94^{a}—101^{a}. ‘Am Sonntage Quasimodogeniti: Der Satan bläst oft den Frömmsten’. 101^{b} vacat.
14. 102^{a}—109^{b}. ‘Fest. annunciationis Mariae: Hinweg, betrügerische Lüste’.

Vol. II.

1. 1^{a}—5^{b}. ‘Dom. Cantate: O heiligwerther Gottesgeist’. 6^{a}—6^{b} vacat.
2. 7^{a}—13^{b}. ‘Dom. Cantate: Christus ist nicht eingegangen’. 14^{ab} vacat.
3. 15^{a}—20^{a}. ‘Dom. Jubilate: Zion klagt mit Angst’. 20^{b} vacat.
4. 21^{a}—30^{a}. ‘Rogate: Erhöre mich, wenn ich rufe’. 30^{b} vacat.
5. 31^{a}—40^{a}. ‘Festo ascensionis: Christus ist aufgefahren’. 40^{b} vacat.
6. 41^{a}—45^{a}. ‘Festo Trinitatis: Wie heilig ist der Ort’. 45^{b}—46^{b} vacant.
7. 47^{a}—54^{a}. ‘Festo Trinitatis: Gelobet sei Gott’. 54^{b} vacat.
8. 55^{a}—61^{b}. ‘Dom. I. post Trinitatis: Es wird ein unbarmherzig Gericht’. 62^{ab} vacat.
9. 63^{a}—69^{a}. ‘Dom. V. post Trinit.: Gib mildiglich dein Segen’. 69^{b}—70^{b} vacant.
10. 71^{a}—76^{a}. ‘Dom. V. post Trinit.: Habe deine Lust an dem Herrn’. 76^{b} vacat.
11. 77^{a}—84^{a}. ‘(Dom.) VIII. post Trinit.: Sehet nun zu’. 84^{b} vacat.
12. 85^{a}—90^{a}. ‘Dom. IX. post Trinit.: Der Reiche verlässt sich’. 90^{b} vacat.
13. 91^{a}—96^{b}. ‘Am 10. Sonntage nach Trinitatis: Ach Gott vom Himmel’.
14. 97^{a}—104^{a}. ‘Dom. XI. (post) Trinit.: Ach, was soll ich Sünder’. 104^{a}—105^{b} vacant.
15. 106^{a}—111^{b}. ‘Dom. XII. post Trinit.: Lobe, danke meine Seele’.
16. 112^{a}—117^{a}. ‘Dom. XIV. post Trinit.: Herr, siehe meinen Jammer’. 117^{b} vacat.

17. 118^{a}—124^{b}. ‘Dom. XVI. post Trinit.: Es ist allhier ein Jammerthal’. 125^{ab} vacat.
18. 126^{a}—133^{a}. ‘Dom. XVII. post Trinit.: Haltet fest an der Dehmuth’.
19. 133^{b}. ‘Wir haben ein festes und prophetisches Wort’. (Textus sine notis musicis.)
20. 134^{a}—138^{b}. ‘Dom. XVIII. post Trinit.: Der Herr hat gesagt zu meinem Herrn’. 139^{ab} vacat.
21. 140^{a}—147^{b}. ‘Dom. XVIII. post Trinit.: Wer da? Saget’.
22. 148^{a}—155^{a}. ‘Dom. XX. post Trinit.: So leget nun ab’. 155^{b} vacat.
23. 156^{a}—163^{a}. ‘Dom. XXI. (post) Trinit.: Mein Kind, verwirff die Zucht’. 163^{b} vacat.
24. 164^{a}—172^{a}. ‘(Dom.) XXII. post Trinit.: Mein Gott, ich schäme mich’. 172^{b}—173^{b} vacant.
25. 174^{a}—182^{a}. ‘(Dom.) XXIII. post Trinit.: Der Gottlose ist wie ein Wetter’. 182^{b}—183^{b} vacant.
26. 184^{a}—190^{a}. ‘(Dom.) XXV. post Trinit.: Glaubet nicht einem jeglichen Geist’. 190^{b}—191^{b} vacant.
27. 192^{a}—199^{b}. ‘Dom. XXV. post Trinit.: Die Gott vertrauen, die erfahren’.
28. 200^{a}—205^{b}. ‘(Dom.) Jubilate: Gib mir ein fröhlich Hertz’. Partt.

15533. [A. N. 65. A. 171.] ch. XVIII. 15. 20. 24. f. Röllig, Johannes Georgius.
1. 1—15. ‘Dominica Cantate: Es ist euch gut, dass ich hingehe, à 4 voc., 2 flute (!) travers., 2 violini, viola et cembalo’. Accedunt: violone, org. Prts. sep. 11.
2. 1—20. ‘Alle, alle, die gottseelig leben’. 4 voc., comitantibus instrumentis. Prts. sep. 11.
3. 1—24. ‘Das Volk, so im Finstern wandelt’. 4 voc., comitantibus instrumentis. Prts. sep. 13.

15534. [A. N. 33. A. 73.] ch. XVII. 24. f. (Colonna, Johannes Paulus.) ‘Dixit (dominus) à 9 concerto con strumenti e ripieni. G. P. C.’ Part.

15535. [A. N. 33. F. 39.] ch. XVII. 9. f. Bach, Johannes Sebastianus. ‘Festo purificationis Mariae: Mit Fried und Freud ich fahr; à 4 voci, travers., hautb. d'amour, 2 violini, viola con continuo’. Part.

15536. [A. N. 33. F. 33.] ch. XVIII. 72. f. Reichardt, Johannes Fridericus. ‘Te Deum. 1786’. Opus octonis vocibus comitantibus instrumentis decantandum ac introductione praevia (‘Ouverture’ inscripta) instructum. Part.

15537. [A. N. 44. A. 4.] ch. XIX. 153. 103. 89. f. Mosel, Ignatius Franciscus, nobilis de. ‘Cyrus und Astyages. Eine Oper in drey Aufzügen, frey nach Metastasio bearbeitet von Matthaeus von Collin, in Musik

gesetzt und dem Herrn Anton Salieri ... gewidmet von seinem Freunde und Verehrer ...' Fol. 3 dedicatio. Singuli actus singulis continentur voluminibus. Opus anno 1818 primum exhibitum Vindobonae (cf. num. 16535). Part.

15538. [A. N. 65. A. 106.] ch. XIX. 17. f. Sellenik, A ... 'Marche militaire. A sa majesté François Joseph (I.) empereur d'Autriche et roi de Hongrie'. Part.

15539. [A. N. 65. A. 91.] ch. XIX. 10. f. Vilbac (Alphonsus, Zoe, Carolus) Rainaldus de. 'Fantasie sur l'hymne national autrichien. Composée specialment pour le grand orgue de l'église saint Épure de Nancy'. Opus dedicatum 'A sa majesté l'imperatrice d'Autriche'.

15540. [A. N. 65. A. 88.] ch. XIX. 42. f. Abert, Johannes Josephus. 'Jubel-Symphonie über die österreichische Nationalhymne: Gott erhalte unsern Kaiser; componirt für grosses Orchester'. Part.

15541. [A. N. 65. A. 90.] ch. XIX. 4. f. Schmid, Ernestus. 'Wiegenlied (O schlafe süss, mein holdes Kind). Gedicht von Otto Prechtler, componirt für eine Singstimme mit Begleitung des Pianoforte und Ihrer kaiserl. Hoheit der ... Erzherzogin Gisela ... gewidmet. Part.

15542. [A. N. 65. A. 40.] ch. XIX. 56. fol. obl. Späth, Andreas. 'Deutsche Militär-Messe für Männerstimmen mit Janitscharenmusikbegleitung. Componirt und Sr. k. k. apost. Majestät, dem Kaiser Franz Joseph (I.) von Oesterreich ... dargereicht'. Fol. 3 accedit nota: 'Komponiert vom 20. Juli bis auf 7. August, 1854'. Part.

15543. [A. N. 33. B. 9.] ch. XVII. 27. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Laudate pueri à 8 con stromenti e tromba. 1676'. Part.

15544. [A. N. 33. B. 10.] ch. XVII. 24. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Beatus vir (qui timet dominum). A 9 voci con violini e trombe et ripieni. 1679'. Part.

15545. [A. N. 33. B. 11.] ch. XVII. 18. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Beatus vir (qui timet) à 8 concerto con strumenti e ripieni. G. P. C.' Part.

15546 [A. N. 33. B. 5.] ch. XVII. 30. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Magnificat à 9 concerto. G. P. C.' Accedunt instrumenta comitantia. Part.

15547. [A. N. 33. B. 7.] ch. XVII. 22. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Laudate (pueri Dominum) à 9 con violini. G. P. C.' Accedunt vla., vlc. Part.

15548. [A. N. 33. B. 13.] ch. XVII. 32. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Dixit (dominus) à 9, con stromenti. 1676'. Part.

15549. [A. N. 33. B. 15.] ch. XVII. 40 f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Messa concertata à 9 voci con strumenti e ripieni. G. P. C.' (Kyrie et Gloria; cetera desunt.) Part.

15550. [A. N. 48. B. 53.] ch. XIX. 10. f. Méhul, Stephanus Henricus. 'Simphonie N° 1'. (Andante). Part. autogr.

15551. [A. N. 48. B. 56.] ch. XVIII. 2. f. Rode, Petrus. 'Andante pour un violon seul'.

15552. [A. N. 48. B. 54.] ch. XIX. 4. f. Hérold, Ludovicus Joseph Ferdinandus. 'Marie. Finale du 1er act, tous avec choeurs'. Fragmentum; incip.: 'Holà, mon paresseux trompette'; desin.: 'Ciel, que veux-tu dire ...' Part. autogr.

15553. [A. N. 48. B. 57.] ch. XIX. 1. f. Auber, Daniel, Franciscus Spiritus. 'Prière de la muette de Portici'. (Saint bienhereux.) 4 voc. Part. autogr.

15554. [A. N. 48. B. 58.] ch. XIX. 4. f. Boieldieu, Adrianus. 'Fragment d'un choeur de jeunes Gauloites dans l'opera de Pharamond ...' (Astre immortel, qui perçant la nuit.) Part. autogr.

15555. [A. N. 48. B. 61.] ch. XIX. 7. f. Liszt, Franciscus. 'Marche et choeur'. (Il est tombé, le noble preux.) Opusculum scriptum 1825. Part. autogr.

15556. [A. N. 48. E. 20.] ch. XVIII. 12. f. Fux, Johannes Josephus. 'Messa canonica à capella'. Opus 4 vocibus decantandum. In fine nota: 'descripsit Michaël Haydn, 5ta 7bris 1757'. Part. (Köchel, num. 7.)

15557. [A. N. 33. F. 29.] ch. XVIII. 17. f. Piantanida, Antonius. 'Magnificat a quattro con sinfonia'. Part.

15558. [A. N. 50. B. 19.] ch. XVIII. 48. [et 28] f. Mozart, Wolfgangus Amadeus. 'Cantata: Davidde penitente con l'orchestra'. Opus in duas partes divisum, quarum prior manu scripta ab Aloysio Fuchs, textum habet germanicum, altera Lipsiae apud Ambrosium Kühnel aeri incisa textum exhibet italicum et germanicum ('mit einer Parodie (!) von Johann Adam Hiller'). Part.

15559. [A. N. 48. E. 9.] ch. XVIII. 4. f. Hofmann Melchior. 'Dom. II. post epiphaniam: Lasst uns in unsrer Noth'. 4 vocibus et voce sola, comitantibus instrumentis decantandum opus. 1710. Part. autogr.

15560. [A. N. 48. D. 75.] ch. XVIII. 73. 34. 62. 27. f. Pleyel, Ignatius. 'Die Fee Urgele. Marionetten-Operette'. Opus quatuor actuum, qui singulis continentur voluminibus. Libellum composuit lingua gallica et 'Le fée Urgèle, ou ce qui plait aux dames' inscripsit Carolus Simon Favart. Opus modis musicis instructum anno 1776. Part. autogr.

15561. [A. N. 48. E. 8.] ch. XVIII. 24. f. Wiegand, Johannes. 'Cantata: Lobt den grossen Gott' quaternis vocibus comitantibus instrumentis decantanda. Part.

15562. [A. N. 48. E. 1.] ch. XVIII. 32. f. Ziegler, Christian Gottlieb. 'Cantata (Kommt herzu) auf das ... Geburtsfest Ihro kgl. Hoheit Anna

Amalia, Prinzessin von Preussen ... des ... Stiffts Quedlinburg Abbatissin etc. In der Schlosskirche abgesungen den 9. November, 1760'. Opus quaternis vocibus comitantibus instrumentis instructum. Part. autogr.

15563. [A. N. 48. D. 78.] ch. XVIII. II. + 25. f. (Uhde, Johannes Otto.) 'Cantata, composta per il giorno natalizio di sua maestà Federico il Grande, rè di Prussia'. (Ecco il sol qui s'aggira — Siehe, die Sonne kehret heiterer.) Sequitur versio germanica tituli praecedentis adiecto loco et anno: 'Berlin, 1763' et nota manu scripta: 'den 23. Jan. 1763 und den 30. desselben im Dorletischen Hause aufgeführt'. Fol. I. et II. continent textum italicum et eius versionem germanicam impressam; fol. 1—26 textum italicum modis musicis, quaternis vocibus comitantibus instrumentis instructum. Part. autogr.

15564. [A. N. 38. D. 28.] ch. XVIII. 64. f. Locatelli, Petrus. 'XII sonate à flauto traverso con cembalo'. Possedit olim Johannes Gottfridus Schicht. Part.

15565. [A. N. 62. E. 7*.] ch. XVIII. 119. f. Graun, Carolus Henricus. 'Cleopatra'. Drama musicum italicum trium actuum. Libellum composuit Johannes Gualbertus Bottarelli (?). Part.

15566. [A. N. 38. D. 19.] ch. XVIII. 44. f. Unstatt, Josephus. Opera musica 7, quae 'concerto' adpellari solent, instructa vl. principali, vl. I., II., vla. et org.; excepto ultimo.

1. 1^a—6^b. 'Concerto' (I.) A-mai.
2. 7^a—12^b. 'Concerto' (II.) G-mai.
3. 13^a—18^b. 'Concerto' (III.) D-mai.
4. 19^a—25^b. 'Concerto' (IV.) F-mai. 26^{ab} vacat.
5. 27^b—32^b. 'Concerto' (V.) C-mai.
6. 33^a—40^a. 'Concerto' (VI.) B-mai. 40^b vacat.
7. 41^a—43^b. 'Concerto' (VII.) Vlc. I., II., vlone. D-mai. 44^{ab} vacat. Partt.

15567. [A. N. 36. D. 1.] ch. XIX. 24. f. Dietrichstein, Mauritius, comes de. 'Klage'. Cantate für 2 Stimmen mit Chor. Gedicht von Frau Caroline Pichler, geborene von Greiner. 1811'. Vivas voces comitantur instrumenta. Part.

15568. [A. N. 33. B. 6.] ch. XVII. 13. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Laudate dominum omnes gentes; pieno à 3 chori di voci. 26 settembre, 1672, per s. Penonio'. Accedunt partim instrumenta comitantia. Part.

15569. [A. N. 33. B. 14.] ch. XVII. 36. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Dixit (dominus) à 8 concerto con strumenti e ripieni. G. P. C.' Part.

15570. [A. N. 33. B. 12.] ch. XVII. 20. f. (Colonna, Johannes Paulus.) 'Dixit (dominus) à 8 concerto con strumenti e ripieni. G. P. C.' Part.

15571. [A. N. 33. B. 8.] ch. XVII. 16. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Laudate pueri; à 9 voci con il primo soprano concertato, ripieni e strumenti'. Part.

15572. [A. N. 33. B. 1.] ch. XVII. 15. f. Colonna, Johannes Paulus. 'Miserere à 10, con stromenti. Fatto l'anno 1675'. Part.

15573. [A. N. 48. C. 84.] ch. XVIII. 16. f. (Ziani, Marcus Antonius.) 'Missa brevis à 4. 1713'. Accedunt instrumenta comitantia: vl. I., II., vla., vlc. Part. autogr. (?).

15574. [A. N. 48. C. 83.] ch. XVIII. 46. f. (Ziani, Marcus Antonius.) Missa 'à 8 voci con stromenti. 1712'. Part. autogr.

15575. [A. N. 48. C. 82.] ch. XVIII. 18. f. (Ziani, Marcus Antonius.) Missa 4 voc. '1710. Da capella'. Accedit organum comitans. Part. autogr.

15576. [A. N. 48. C. 81.] ch. XVIII. 16. f. Ziani, Marcus Antonius. 'Messa a 4 da capella da cantarsi con l'organo e senza. 1712'. Part. autogr.

15577. [A. N. 48. D. 67.] ch. XVIII. 7. f. Röllig, Johannes Georgius. 'Cantata in dominica 1. adventus: Sey du mein Anfang und mein Ende' ..... 4 voc. comitantibus instrumentis. Part. autogr.

15578. [A. N. 48. D. 68.] ch. XVIII. 11. f. Röllig, Johannes Georgius. 'Festo ascensionis Christi: Gott fähret auf mit Jauchtzen' ... Cantata 4 voc. comitantibus instrumentis. Part. autogr.

15579. [A. N. 48. D. 69.] ch. XVIII. 11. f. Röllig, Johannes Georgius. 'Festo circumcisionis Christi'. Cantata: 'Rühmet seinen heiligen Namen'. 4 voc., comitantibus instrumentis. Part. autogr.

15580. [A. N. 48. C. 7.] ch. XVIII. 8. f. Bach, Guilelmus, Friedeman. 'Sinfonia'. D-mai. Opus instrumentis aptatum. Part. autogr.

15581. [A. N. 48. B. 25.] ch. XVIII. 6. f. Hoffmeister, Franciscus Antonius. 'Cassatio in F (-mai)'. Opus vl. solo, ob., vla, 2 corni, fag. aptatum. Part. autogr.

15582. [A. N. 48. C. 64.] ch. XVIII. 5 + 14. f. Romberg, Bernardus. 'Capriccio sur des airs et danses Polonais pour le violoncelle avec accompagnement de deux violons, deux clarinettes, deux bassons, deux cors, alt et bass .. Op. 47'.

1. Part.
2. Parts. sep. 10. vl. I., II., vla., corno I., II., fag. I., II., clarinetto I., II., b.

15583. [A. N. 48. D. 2.] ch. XIX. 9. f. Spontini, Ludovicus Caspar Pacificus. 'Air dans Olimpie'. (Auguste épouse d'un héros.) B. solo, comitantibus instrumentis. Part. autogr.

15584. [A. N. 48. D. 61.] ch. XVIII. 40. Werner, Gregorius Josephus.

1. 1^a—20^a. 'Missa in contrapuncto, canto, alto, tenore, basso con organo e violone'. 20^b vacat.

2. 21^a—40^b. 'Missa lydia alla breve, à 4 voci con basso continuo'. Inscriptioni pristinae accedit nota: 'Dieses Manuscript ist die eigene Handschrift des Gregor Joseph Werner, hochfürstlich Esterhazischer Capellmeister zu Eisenstadt in Ungarn um 1736, der Vorfahr unseres grossen Jos. Haydn im Amte. Ambros Rieder'. Partt.

15585. [A. N. 33. A. 53.] ch. XIX. 80. f. Bott di Piérot, Franciscus.

1. 1^a—60^a. 'Missa à quattro voci con alto viola, violoncello obligato e fondamento ... dedicata alla sacra cesarea e cesareo-real maestà, l'imperatrice Maria Theresia. Per la festa di s. Norberto ai 6 giugno dell'anno di salute 1806'. Opus complectens praeter partes ordinarias etiam graduale: 'Justus ut palma florebit' et offertorium: 'Laetamini in Domino'. 60^b vacat.
2. 61^a—79^a. 'Hymnus ss. Ambrosii et Augustini de s. trinitatem' (sic!). Fol. 60^b inscriptio italica: 'Inno Ambrosiano, osia Te Deum laudamus, messo in musica a quattro voci con fondamento'. Accedunt: vlc., vlone., org. Partt.

15586. [A. N. 33. E. 7.] ch. XVIII. 29. f. Benda, Georgius. Missa quaternis vocibus comitantibus instrumentis decantanda. Kyrie et Gloria, cetera desunt. In fine nota: 'Diese Messe habe ich in der Auktion von den Musikalien des Baron Switen erstanden, wobey ein Brief des Benda (der mir leider verloren gieng) gelegen ist, aus dem sich gezeigt hat, dass Benda diese Messe als Probe seines Talentes als Kirchen-Componist auf Verlangen Sr. Excellenz eingesendet, da letzterer seine Verwendung zur Erlangung der Hofkapellmeisters-Stelle dem Benda versprochen hatte. Bartenschlag m. p.' Part.

15587. [A. N. 34. E. 25.] ch. XVII. 58. f. Incertus. Requiem quinque; voce sola cantu mensurabili decantanda opera, non manu scripta sed formis, quas 'Patronen' vocant, adhibitis exarata.

15588. [A. N. 65. A. 89.] ch. XIX. 27. f. Elias, A ... J ...

1^a—2^a. 'Begrüssungsmarsch für das Clavier componiert ... aus Anlass der Jubelfeier des hundertjährigen Militär-Maria-Theresien-Ordens-Festes und der höchsterfreulichen Rückkehr Sr. kais. königl. apostol. Majestät'. 2^b vacat.

1. 3^a—7^b. 'Partition des Begrüssungsmarsches für k. k. Militär-Capellen ...' 8^a—8^b vacat.
2. 9^a—27^a. Prts. sep. eiusdem operis. 27^b vacat.

15589. [A. N. 48. E. 39.] ch. XVIII. 40. f. Haydn, Johannes Michael. '(Missa in ho)norem sanctissimae trinitatis a 5 voci: 2 sop., alto, ten. e basso conc., 2 violini, viola, 2 clarini (violoncello) tympano con organo'. In fine operis nota: 'Joan. Mich. Haydn composuit. Anno 1754.' Part. autogr.

15590. [A. N. 48. B. 27.] ch. XVIII. 3. f. Telemann, Georgius Philippus. 'Arie in Partitur zur Oper 'Masaniello' von Reinhardt Kaiser. Componiert 1729 (sic!). Original-Handschrift'. ('Die Wolken zeugen Blitz und Keile'.) C-solo comitantibus instrumentis. Accedit nota: 'Eigenhändige Arie von dem berühmten Hamburgischen Kapellmeister Telemann zu der Reinhard Keiserschen Oper Masaniello (La muette), welche derselbe wahrscheinlich für eine Sängerin componierte, der die Kaisersche Composition nicht gefiel oder zu hoch lag. Sie ist nach dem Jahre 1721 componiert, in welchem Jahre T. seinen Socrates auf die Bühne brachte. Seine dramat. Arbeiten sind von der grössten Seltenheit'. Haec nota et inscriptio manibus diversis posterioribus exaratae sunt.

